Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 597
Quelle:
Copyright:

exulem se paradisi factam — subactam ingemuit
nomen ex numeris
unctus est in regnum
sacerdotibus separata &c.

XVII. *fol.* 132. *Incipit epistola ysidori ad horosium.* Et postea: *Incipit desloratio ejusdem in nominatissimis nominibus legis et euangeliorum*; ut in Edit. mox *cit.* p. 515. Αλογον illud Epistolae in edit. *Quæ quia in explicata sunt adnotata, breuis materiola dicendi coegit*, ita corrigit Noster: *Quę quia inexplicata sunt, adnotata breuiter stilo scribenda decreui*, et mox pro *Erat quidem sensus*, sanius habet *Hęret quidem sensus.* Ad Opusculi calcem adtexta est brevis Institutio de Temporibus *Jejuniorum* ecclesiasticorum, quae et ipsa depromta est ex *Isidori ult. Capitibus* L. I. *de Officiis eccl.* nisi, quod istud: *Quarta feria ideo ieiunamus. quia ipsa die iudas tradidit dominum. ut crucifigerent eum;* aliunde accessit.

Ad convestiendum praeclarum hunc Codicem, qui sui temporis Hermeneutis unus multorum instar esse potuit, adhibitae sunt membranae, quarum una initium Expositionis *De modis discipline regularis* in Ordine S. *Benedicti*, plures vero Capitularia quaedam ad *Cistercienses*, praecipue de *Conversis*, pertinentia pereleganter exarata exhibent.

exul est paradisi facta — subacta ingemuit
nomen a numero
unctus est in regem
in sacerdotibus separata &c.

CCCV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 177
Folior. 337. f. partim lineis longis, partim per 2. columnas exaratus, minio distinctus, et a saepe laudato M. *Thoma de Haselbach* legatus, ut Theca anterior praefert, *Collegio Ducali Wienne* sequentia continet: I. *Sofronij Eusebij Jeronimi librum hebraicarum questionum.* Prologus incipit: *Qui in principijs librorum debebam secuturi operis argumenta proponere* &c. Opus ipsum: *In principio fecit deus celum et terram* &c. Et finit: *seruientes altari viuant de altari.* Probe conspirat Exemplum istud cum Impressis edit. *Vallarsii* T. III. *Veronae* 1735. f. *col.* 301. idque debetur solerti emendationi *Haselbachii* possessoris.

II. *fol.* 28. succedunt *Hieronymi* nomine non addito: *Explanacio decem temptacionum*, nempe Israelitici Populi in Deserto, et *Explanacio cantici Debbore et barach de libro iudicum.* Prima init: *Hec sunt verba* &c. altera: *Cecineruntque Debbora et Barach* &c. Prorsus, ut T. *cit. append. col.* 741. quo reposita sunt Fragmenta haec vetusti cujusdam Commentatoris, non tamen *Hieronymi*, ut pluribus praefixa *ibid.* Admonitio.